

Lisch, Mecklenburg in Bildern IV, 30). Seit 1398 ward der Chor von St. Marien wie der an den beiden Kirchen der befreundeten Hansastadt nach dem Vorbilde Doberans zu Rostock gebildet. (Westphalen, Mon. in ed. III. 996.)

Wie aber an allen diesen Kirchen zumal in den reich aufblühenden Handelsstädten die edle harmonische Bauweise der Cistercienserabtei in der Absicht durch Colossalität aufgethürmter Massen und durch Ueberladung mit Schmuck einander zu überbieten getrübt ward, zeigt kurz und schlagend W. Lübke [a. a. O. Nr. 39].*)

De concordia simul et de discrepantia Romani et Monastici Breviariorum Disquisitio liturgica,

auctore R. P. Domno Beda Plaine, Monacho O. S. B. Congregationis Gallicae, et monasterii Locogiacensis.

(Conclusio.)

§ 4. De Lectionibus et Responsoriiis.

Quaelibet Psalmodia paulo prolixa laborem parit et fatigationem mentis, cui tamen facile fatigationi succurri potest per lectionem plus minusve longam, quae tunc fit quasi interruptionis solatium. Similiter quaelibet prolixa lectio quandam aurium et mentis fatigationem generat, utpote nimis uniformis. Si vero eandem interruptam subsequatur aliquis cantus melodicus et solita Psalmodia ornatio, veluti est Cantus Responsoriorum in officio, Gradualis vero in Missa, tunc aures et mens simul suaviter reficiuntur. His attendens ordinator officii Romani, ut Lectiones prolixae subsequerentur prolixa nocturnorum Psalmodiam, Lectionem vero unamquamque comitaretur alicujus Responsorii suavis cantus, sapienter providit et jussit. Quem agendi modum libenter accepit S. Benedictus, et insuper ordinavit ut aliarum Horarum minus prolixa Psalmodiam subsequeretur ad ornatum si non ad virium reparationem, Capitulum seu Lectio brevis, cum aliquo Responsorio similiter brevi, seu saltem simplici versu.¹⁾ Porro nec Capitula nec responsoria brevia usquedum nota erant apud Romanos, siquidem officia eorum antiquissima, scilicet Tridui sacri majoris hebdomadae, Paschae et Defunctorum, eadem minime prae se ferunt, sed simplici versu fruuntur. Postea vero, id est ante saeculum nonum, exemplo Monachorum suadente, admissa fuerunt Responsoria brevia et Capitula, ut patet ex Amalar.²⁾ sed cum aliquo discrimine. Nam apud Romanos

*) Im nächsten Hefte bginnen wir mit einem hochinteressanten Aufsätze desselben H. Verfassers über die Kunstthätigkeit der Cistercienser und zumal derer von Doberan.
Die Redaction.

¹⁾ Regula S. Bened. X, XI—XVIII.

²⁾ Amalar. de Eccles. offic. IV., cap. 7. etc. Notandum est quod, vivente eodem scriptore, Prima et Completorium non adhuc iisdem additamentis gaudebant (Amal. de O. Antiphon VII.).

Responsoria brevia non sunt in usu nisi pro Horis diurnis et pro Completorio, dum apud Monachos, jubente S. Benedicto, Laudibus et Vesperis solummodo inserta sunt, quibus quidem officiis nunquam deest solemnitas, simplici versu relicto pro aliis Horis, utpote minus solemnibus.¹⁾ Capitula vero eadem hodie sunt et eodem ordine in utroque cursu leguntur.

Sed nova accedit discrepantia in numero Lectionum et Responsoriorum quae in Vigiliis nocturnis leguntur et canuntur.

Etenim Ecclesia Romana tres uniformiter annectit unicuique nocturno Lectiones, cum tribus Responsorii, ita ut in feriis tres solummodo numerantur Lectiones et tria Responsoria, nonus vero numerus attingitur in officiis festivis et dominicalibus. S. Benedictus alium sibi agendi modum sequendum proposuit. Servatis enim tribus Lectionibus et tribus Responsorii in officiis ferialibus tempore hiemis, de quo supra, quatuor unicuique nocturnorum annectit in Dominicis et festis Lectiones et Responsoria, ita ut numerus duodecim attingatur.²⁾

Quoad delectum Lectionum, ordinationa S. Benedicti quibus hodie non strictim obeditur, ex antiquis usibus Romanae Ecclesiae desumpta fuisse videntur; nam concordant cum officiis Tridui sacri Majoris Hebdomadae, in quibus, ut jubet sancta Regula, primi nocturni Lectiones e Veteri Testamento mutuuntur; quae vero pertinent ad secundum, ex aliquo tractatu vel sermone sanctorum Patrum, et tandem tertii Nocturni Lectiones ex novo Testamento desumuntur.³⁾ Haec autem supra dicta officia antiquissima esse et S. Benedicto antiquiora, res sat clare patet, ex sententia omnium Liturgistarum.⁴⁾ Dehinc multis annis post S. Benedicti mortem Lectionibus novi Testamenti pro tertio Nocturno substitutae sunt Homiliae in Evangelium; sed a quo et quando introductus fuerit ille usus, nescitur. Verisimiliter conjici potest illum a Monachis introductum fuisse. Etenim cum SS. Legislator noster lectionem Sancti Evangelii pro conclusione Vigiliarum in quolibet officio festivo seu dominicali praecepisset, rationi sat consentaneum erat ut lectiones praeviae dicatae forent ejusdem Evangelii commentationi, sicque verba sancta clarius intelligerentur, et altius in cordibus infingerentur. Caeterum dictae Homiliae jam saeculo septimo exeunte in usu erant apud Clericos, ut eruitur ex codice 835 Vaticano, qui ad usum Clericorum eo tempore exaratus, eas nobis exhibet pro officio divino.⁵⁾ — Insuper circa finem octavi saeculi, jussu pii imperatoris Caroli Magni collectio quaedam Homiliarum pro eodem officio suscepta est ab illustri Paulo Diacono, Monacho Cassinensi. Similiter circa

¹⁾ Regula S. Benedicti XI., XVII., XVIII. etc.

²⁾ Ibid. IX., X., XIII., XIV.

³⁾ Ibid. XI.

⁴⁾ Grancolas. Comment. hist. de brev-roman. c. 55 de Coena Domini.

⁵⁾ Guéranger. Instit. Liturg. t. 3, pag. 278.

idem tempus Alanus, Monachus Farfensis simili collectioni operam dabat.¹⁾

Lectionibus hodie inseparabiliter uniuntur Absolutiones et Benedictiones: quocirca de utrisque breviter agam. Absolutiones hujusmodi multo sunt S. Benedicto, qui de eis tacet, posteriores, nec adhuc forsan in usu erant nono saeculo currente, ut erui videtur ex eo quod Amalarius, praecipuus hujus aevi Liturgista, nihil aliud circa hanc rem indicat praeter simplicem supplicationem, sed sine praevia oratione dominica. En ipsa verba Amalarii: »Orationem Dominicam non canunt Romani post psalmos nocturnales, sed dicunt aliquod capitulum: »Intercedente B. Petro Principe Apostolorum, salvet et custodiat nos Dominus.« Et alibi: »Nos Galli, finitis Psalmis nocturnalibus, solemus cantare orationem Dominicam quam Romani praetermittunt.«²⁾

Monachi vero circa idem tempus unica tantum utebantur oratione, scilicet: »Precibus omnium Sanctorum, salvet et benedicat nos Dominus.«³⁾ Aliunde profecto ante duodecimum saeculum introductae sunt Absolutiones hodiernae, item et Oratio dominica tum apud clericos tum apud monachos, testibus Ruperto, et Honorio Augustodunensi.⁴⁾

Quoad Benedictiones quae lectoribus dandae sunt, de unica tantum loquitur S. Benedictus forsan quia de unico lectore agebatur,⁵⁾ sed cum hodie juxta ritum romanum quot sunt lectiones, tot pariter sunt benedictiones eadem consuetudo jam a pluribus saeculis habet vim legis apud S. Benedicti alumnos.⁶⁾

§ quintus et ultimus:

de Versibus initialibus et de Litanis seu officii conclusionem.

Norunt omnes usum inchoandi ac terminandi Horas officii divini tam nocturnas quam diurnas per privatam Orationis Dominicae, salutationis Angelicae et interdum Symboli recitationem Apostolorum, addita etiam aliquoties Confessione peccatorum, non esse S. Pio V antiquiorem, saltem quoad vim praeeptivam.⁷⁾ Sed versus officii

1) Ibid. t. pag. 179.

2) Amal. De Ordine Antiph. Prolog. et de Eccl. officiis, III., 6.

3) Smaragdus commentar. in c. IX. Regulae S. Bened.

4) Rupertus de Divinis offic. lib. I., cap. 11. et 12. Gemma animae lib. 2, 26.

5) Regula S. Benedicti XI.

6) De Ant. monach. ritibus lib. I. c. 2, n. 59 et alibi.

7) Revera Joannes Abrincensis (circa 1060) loquebatur de pio usu recitandi Pater et Ave, post Primam. Pater, Credo et Confiteor post Completorium (lib. de Eccles. officiis, initio) Item paulo post Durandus mimatensis laudat eos, qui similiter agunt. (Rationale V., 2 et alibi.)

initiales: Deus, in adjutorium; Domine, labia mea aperiens, et similes, consuetudine multo antiquiores sunt, siquidem saltem a S. Benedicto initium sumpserunt. Utrum vero eos a Liturgia Romana mutuatus fuerit S. Monachorum Legislator, an e contrario e ritu monastico in romanum transierint dicti versus? inquirendum est. Certum est ante omnia ineunte saeculo nono jam apud Romanos in usu fuisse Deus in adjutorium et Domine labia mea aperiens, teste Amalario;¹⁾ sed aliter, ut videtur, res se habebant in quinto saeculo. Nam si tunc temporis jam Ecclesia Romana seu Ecclesiae Gallicanae in usum assumpsissent in officiis divinis praecipuum ex his versiculis, id est Deus in adjutorium, haec consuetudo nobis profecto nota facta fuisset a Cassiano, qui his diebus Massiliae suas Collationes scribebat monasticas, in quibus ad hanc invocationem summopere commendandam, nullum alium testem adducit et encomiatorem praeter monachos Aegypti.²⁾ Nam in talibus circumstantiis non poterat silere de usu Ecclesiarum occidentalium studiosus ille scriptor. Idcirco certum mihi videtur et consentiunt Liturgistae³⁾ melioris notae, e monastico in romanum ritum transiisse dictorum versuum initialium assumptionem, quae tantum decoris addidit officio divino. Quando vero, et per quem a Pontificibus Romanis res facta fuerit? Controvertitur inter eruditos; Rollevinck in Fasciculo temporum, et post eum sapiens et eruditus Haeften cum pluribus aliis hanc laudem s. Gregorio Magno ascribunt non sine probabilitate.⁴⁾

Porro una hic sola et parvula inter Romanum monasticumque cursum notanda est discrepantia, scilicet locus, quem tenet versiculus: Domine, labia mea aperiens. Nam apud Romanos praepositur omnibus aliis, et sat rationi consentaneum est nam in orali divinae laudis opere primo aperienda sunt labia. Apud Monachos vero eadem verba nihilominus alio ordine cantantur, et forsitan simpliciter ut servetur ratio agendi aliarum Horarum, postponuntur versiculo: Deus in adjutorium meum intende.⁵⁾

Nunc transeamus de versibus initialibus Horarum ad Litaniam seu ad earundem conclusionem. Nam hic quoque adsunt aliquae inter utrumque cursum discrepantiae. Noster sapientissimus legislator complectitur sub unico verbo: Litaniam seu supplicatio Litaniae orationem dominicam et collectam seu benedictionem cum versibus praecedentibus et subsequentibus, qui fere uniformiter repetuntur ad

1) De Ordine Antiphonar. prologus et alibi passim.

2) Cassian. Collatio X., cap. 10.

3) Meratus. Commentar. in Rubricas Brev. V., cap. 3.

4) Fasciculus temporum, anno 604 Haeften, Disquisit. monast. VII., cap. 6, p. 2, et recentissime Bäumer, Pleithner post plures alios doctos Germanos.

5) Regul. S. Benedicti, IX.

finem uniuscujusque Horarum.¹⁾ Qui finiendi modus rarus hodie videtur apud clericos, impediētibz sanctorum festis et anni solemnitatibus, sed nihilominus dicta Supplicatio Litaniae non deest ritui romano, seu verius antiquissima est non solum apud Romanos et totam Ecclesiam occidentalem sed etiam apud Orientales ut constat ex antiquis conciliis et ut jam abundanter probatum est in his Ephemeridibus a R. P. Domno Suitberto Bäumer, erudito monacho Ordinis nostri et Congregationis Beuronensis;²⁾ a quo invitatus et moerens aliquot vicibus superius dissentii. Hinc S. Benedictus non est proprie hujus consuetudinis auctor. Verumtamen hic propria laus eidem Patri nostro denegari non potest et gloria. Primus etenim decrevit supplicationem Litaniae nunquam interrumpendam esse ad instar Romanorum in diebus festis, sed quotidie uniformiter repetendam esse in fine uniuscujusque Horarum officii divini. Primus item statuit ut ad distinctionem solemnium, a caeteris Horarum, eadem oratio dominica integre et ab ipso Abbate caneretur in Laudibus et Vesperis, dum in aliis horis solummodo prima et ultima pars alta voce diceretur.³⁾ Nam nemo est, qui non videt quantum decoris et pietatis officio addat monastico orationis dominicae ininterruptus usus: quippe quae oratio omnibus doctis et indoctis, plebiis et nobiles nota est: omnes cum maximo gustu et fructu eandem, a praeside chori invitati, junctis in unum cordibus, recitant. Quod pie animadvertentes Cursus Romani postremi ordinatores cantum ejusdem orationis Dominicae in Laudibus et Vesperis pro diebus jejuniorum apud clericos introduxerunt.⁴⁾ Quoad Collectam seu benedictionem, de qua loquitur S. Benedictus, nihil aliud est quam adunatio solemnium votorum totius conventus facta in nomine omnium a praeside chori, et ad utrumque cursum romanum et monasticum pertinet. Eam praecedit salutatio (Dominus vobiscum) subsequitur vero gratiarum actio (Benedicamus Domino) ac etiam commemoratio defunctorum. Sic jam res sese habebant corrente nono saeculo.⁵⁾ Utrum talis usus exstiterit a diebus S. Benedicti? Nescitur; sed monachorum Patriarcha simpliciter de collecta sine ullo additamento loquitur.⁶⁾ Post nonum vero saeculum additi sunt duo versiculi finales, quorum quidem origo nos fallit, scilicet: Dominus det nobis suam pacem, et Divinum auxilium etc.: qui iidem sunt apud clericos et monachos cum hac tamen discrepantia quod ultimi pars diversificatur apud monachos; nam loco simplicis responsionis: Amen, dicunt: Et cum fratribz nostris absentibus

1) Ibid. IX., XVII. etc.

2) Studien etc. Anno VII., t. 2, p. 289 et seq.

3) Regula S. Benedicti, XIII.

4) Breviar. Romani Rubr. general. titulo XXX.

5) Amal. de Eccles. officiis, IV., c. 3. et 4 et passim.

6) Regula S. Benedicti IX. et alibi passim.

amen, jubente expressis verbis S. Benedicto ut semper in fine officii, fiat commemoratio itinerantium et omnium qui ob aliam causam a choro absentes sunt.¹⁾

Hucusque de discrepantiis quae Romanum inter et Monasticum cursum animadverti possunt. Aliquot aliae sine dubio exstant, verbi gratia, modus celebrandi officia in diebus infra Octavas etc. Porro de Octavis omnino silet sanctissimus Monachorum Legislator, et aliunde ante reformationem Breviarii Romani a s. Pio V peractam, varii erant apud Clericos modi celebrandi dicta officia dierum infra Octavas, et in pluribus locis sat analogae erant cum hodierno monastico ritu quae receptae erant, consuetudines. Quocirca non videtur necesse hic de tali discrepantia disserere nec de aliis similibus quae s. Benedictum pro auctore non habent.

Articulus quartus.

De usibus, quos a ritu Ambrosiano et aliis mutuatus est S. Benedictus, item de iis, qui a monastico in romanum ritum transierunt.

Antequam concludatur prasens tractatiuncula, inquirendum mihi superest quas a ritu Ambrosiano et ex antiquis vitae monasticae Patribus mutuatus sit consuetudines s. Benedictus, item quoenam augmenta perfectionis e monastico in romanum ritum, decursu temporum, transierint. Nam ea omnia in unum colligere et clare exponere multum operae pretium mihi esse videtur ad melius illustrandas origines, excellentiamque Breviarii Monastici, cujus ordinator fuit S. Benedictus. Verum proh dolor! documenta mihi fere totaliter deficiunt, praesertim pro § sequenti.

§. 1. Inquiruntur res seu instituta quae S. Benedictus a ritu ambrosiano et aliis praeter romanum, antiquis desumpsit.

Monachorum occidentalium Legislator, nimis abundanter Spiritu Dei repletus erat ut vanae gloriae desiderio succensus alicujus novitatis in re ascetica seu liturgica institutae laudem sibi ambiret. Sed aliunde cum a Deo summo omnium bonorum distributore, sciens et humiliter consentiens, nobile reducendi monasticum institutum, cujus fere collapsa erat disciplina, ad primaevam perfectionem munus accepisset,²⁾ omnem lapidem pro Gloria Dei et salute animarum studiosissime movit ut dictum institutum plene et perfecte resarciretur.

Quam rem ut efficacius assequeretur sanctus Patriarcha, Regulam conscripsit monachorum, ut omnes sciunt, et in ea ordina menta liturgica, de quibus hic tractamus, inseruit non tanquam a se ipso inventa, sed velut pie et fideliter accepta a Romanis Pontificibus, a S. Ambrosio

¹⁾ Ibid. LXVII.

²⁾ Martyrolog. Roman. die 21. Martii.

et a prioribus vitae monasticae Patribus. Jam de usibus a ritu romano mutuatis actum est superius, nunc de aliis breviter.

Porro mihi specialiter investiganti quae instituta S. Benedictus ex antiquis monachorum consuetudinariis desumpserit, paucissima sunt comperta. Haec tantum ex iis fontibus orta seu procedentia mihi nota facta sunt, scilicet 1. usus versus initialis: Deus in adiutorium meum, de quo supra; 2. Consuetudo cantandi duodecim psalmos per unamquamque noctem, tres vero pro Tertia et aliis Horis diurnis; 3. Lectio S. Evangelii.¹⁾ Nihil ultra addere audeo, ne in errorem inconscius incidam, licet plura, ut reor, alia instituta ex eodem fonte, scilicet ex antiquis cursibus monasticis in cursum benedictinum devenerint.

Quoad instituta, quae S. Benedictus e ritu ambrosiano desumpsit, plurima numerantur, ut asserit competenter Amalarius,²⁾ sed quae et quanto numero praeter jam recensita; scilicet canticum Te Deum, hymni et responsoria brevia, cum repetitione frequenti coelestis cantici Alleluia?³⁾ Incertum et prorsus ambiguum. Duae quidem collectae officii Primae scilicet, **Domine Deus omnipotens**, et **Dirigere** S. Ambrosio pertinent secundum Radulphum Tungrensem⁴⁾ sed qua auctoritate ininitatur haec attestatio et utrum haec duplex collecta, vivente Benedicto, jam in usu fuerit, apud monachos, nescimus.

§. 2. Perfectionis augmenta, quae a monastico in Romanum transierunt ritum, inquiruntur.

Si instituta, quae S. Benedictus ab antiquis Patribus mutuatus est, authenticum perhibent testimonium de ejus eruditione sacra et de venerationis cultu quo ipse antiquos Patres prosequatur, non minus vividum testimonium perhibent de praecipuo ejusdem Patriarchae sapientiae et discretionis spiritu, additamenta et perfectionis augmenta quae ex monastico in romanum ritum, saeculorum decursu transierunt, illumque nunc mire exornant. Non est hic mei propositi omnia hujus generis recensere et evolvere additamenta, sed solummodo ea, quae sunt certiora, et a S. Benedicto directe procedunt enumerare.⁵⁾ Octo sunt numero.

¹⁾ Cassian. De institut. Coenobior. III., 6; XI., 6; Collatio X., c. 10.

²⁾ Amalar. De Ecclesiast. offic. IV., c. 48.

³⁾ idem ibidem.

⁴⁾ Radulphus de Rivo. Proposit. 14.

⁵⁾ R. P. Suitb. Baeumer de iisdem eruditi agit sed forsitan non sat sedulo certa ab incertis secernit ut inchoando dicebam. V. Studien, anno 1887, t. I., p. 1—18; 157 et seq. Verumtamen ne iis errorum inducantur aliqui lectores circa ea, quae dicta sunt (p. 52 et 53) de opinionibus docti Patris Suitberti, advertendum est, quod fere unice alludit D. Beda assertionibus, quae pro objecto habebant partitionem liturgicam Psalterii, et institutionem Completorii. Cum enim dicta partitio Psalmorum secundum Tomasium et alios fuit prima forma

In primo loco exhibetur versus initialis: Deus in adiutorium, cum aliis; secundo loco hymni et successive Te Deum laudamus, Capitula, Responsoria brevia, homiliae in Evangelium, septimo loco, officium Capituli, quo concluditur Prima, octavo et ultimo, Lectio Brevis Completorii. De sex primis jam breviter superius actum est, et ideo de duobus tantum ultimis paucis hic dicam verbis.

Officium Capituli, quod nunc constat martyrologii lectione cum precibus pro labore manuum, ac etiam in multis locis pro fratribus defunctis, haberi potest quasi conclusio Primae. De hoc officio non expresse agit S. Benedictus, ac utrum ad ejus tempora illud referatur in forma ejus hodierna vel sit posterius, dubitatur. Verumtamen certum videtur, vivente S. Benedicto jam aliquas in usu esse operi manuum praeparatorias preces juxta formale ipsius sancti Patris mandatum.¹⁾ Insuper eadem post Primam expendi debebant preces, saltem in aestate, siquidem a Pascha usque ad Calendas octobris dicto operi manuum vacabant Monachi a prima usque ad horam quartam.²⁾ Si addatur partem harum precum praecipuam, id est, versiculum Deus in adiutorium meum intende, ex Sanctae Regulae instituto tanquam aliquid operis manualis proevium desumptum fuisse,³⁾ concludi poterit cum Gavanto et aliis magni nominis Liturgistis, S. Benedictum jure ac merito pro auctore officii capituli habendum esse.⁴⁾ Aliunde jam octavo mediante saeculo S. Chrodegangus hunc usum e monastico mutuatus, illum in sua Canonicorum Regula admisit, ac item fecerunt ni nõno plures aliae ecclesiae, teste Amalario⁵⁾ unde paulatim ubique locorum receptus est.

Simili modo introducta fuit circa nonum saeculum lectio brevis Completorii ad exemplar Monachorum, teste eodem Liturgista,⁶⁾ nam sine dubio S. Benedictus ipse est primus auctor hujus institutionis, siquidem expresse suis discipulis mandaverat nunquam explendas esse Completas, quin prius legeretur »aliquid e Collationibus, vel vitis Patrum, seu quod edificent audientes.«⁷⁾

Plura alia perfectionis Breviarium Romanum accepit additamenta a ritu monastico, v. gr. commemoratio sollemnis omnium defunctorum

Cursus romani, si aliunde, ut vult D. Suitbertus haec partitiõ facta fuit tempore s. Gregorii, inde sequeretur quod indirecta loquendo cursus monasticus romano antiquior est iudicio dicti Patris Suitberti: quod volui dicere. Item si Hora Completorii a romano in monasticum transit ritem, ut putat D. Beda, non fuit aequus arbiter monasticum inter et romanum cursum D. Suitbertus, qui S. Benedictum facit institutorem Completorii.

1) Prolog. in Regulam.

2) Regula S. Benedicti XLVIII.

3) Ibid. XXXV.

4) Gavantus et Meratus. Commentor. in Rubr. Breviar. Romani sect. 4 cap. 3.

5) Regula Canonicor., cap. 18; Amalar. De Eccles. offic. IV., c. 2, 7.

6) Amal. loco citato IV., c. 8, et de Orime Antiph. c. 7.

7) Regula S. Bened. XLIII.

etc. sicut e contra quaedam ex praescriptionibus S. Regulae, v. gr. usus Cantici Alleluia, mutationi obnoxiae factae sunt ut mori Romano perfectius accommodarentur monachi, sed haec omnia ad me et ad praesentem tractationem non spectant utpote instituta jam defuncto et ad coelos translato monachorum Legislatore. Idcirco ab his et aliis similibus supersedeo.

Nunc vero tacta, ut spero, quae mihi ante oculos posita erat, meta, non erit forsan sine fructu omnia breviter recapitulari, et attendere quid itineris mihi terere datum est. Initio pauca de originibus Romani et monastici cursuum exposui, deinde omni quo potuit studio mea pusillitas, vindicatae sunt concordia et harmonia, quae ubique Romanum inter et monasticum Breviaria exstant, dum utriusque discrepantiarum ex altera parte character mere accidentalis ostendebatur. Tandem alta antiquitas et excellentia liturgicorum S. Benedicti ordinamentorum in meliori luce quam antea, ni fallor, a me posita fuerunt quin tamen simul nihil detraheretur antiquitati et excellentiae Liturgiae Romanae, siquidem ea instituta, quae a Romano ritu mutuatus est S. Benedictus, non secernens ab eis, quae idem a S. Ambrosio et ab antiquis vitae monasticae Patribus desumpsit, ea omnia in unum colligere conatus sum, et eadem nova luce circumdare. In qua re prosequenda, vestigia subsequi in quantum potui utinam perfectius! aemulatus sum doctissimi ac desideratissimi Patris et magistri Domni P. Guéranger, qui tam strenue et tam feliciter pro laude et gloria tum Ecclesiae Romanae tum ordinis monastici ac ejus sanctissimi Patriarchae adlaboravit et scripsit.

